

a pag. 1238. necnon in Libro Basilicorum Tom. I. p. 10.
exstat *Justiniani Imper. Epistola ad Epiphanium Sanctissimum ac Beatisimum Archiepiscopum Urbis hujus Regiae & Universalem Patriarcham*, quæ incipit: *Scire volentes Sanctitatem tuam omnia, quæ ad Statum Ecclesiasticum spectant.* In qua ait *Justinianus*: *Quippe repertis quibusdam alienis a Sancta Catholica & Apostolica Ecclesiæ, qui errorem impiorum Nestorii & Eutychetis sequuntur, eorumque blasphemias utuntur: Sacrum Editum, propositum, quod ad tua quoque Sanctitatis notitiam pervenit, quo hereticorum insaniam refutavimus, nulla re prorsus immutata, nec quidquam immutantes, aut prætermittentes, quod ad Statum Ecclesiasticum spectet, qui adjuvante Deo habentus obtinuit, sicut & tua novit beatitudine: sed per omnia statum Unionis Sanctissimarum Ecclesiarum, erga Sanctissimum Romæ Veteris Papam & Patriarcham custodientes, ad quem his etiam similem prescrispinus: nec enim patimur, ut aliquid eorum, quæ ad Statum Ecclesiasticum pertinent, non etiam ad ipsius beatitudinem referatur: quam ea sit Caput omnium Sanctissimorum Dei Sacerdotum: & quotiescumque his in partibus heretici fuerunt enati, per sententiam rectumque illius Venerabilis Sedis aboliti sint. Dar. vii. Kal. Apr. Cp. Dn. *Justinian. PP. A. III. Cof.* (Chr. 533.) Ad eundem Epiphanium Constantinopolitanum Patriarcham directe sunt complures *Justiniani Novellæ*, quarum supra facta est recensio. *Nimirum*, III. Ut determinatus sit numerus Clericorum Sanctissimæ majoris Ecclesiæ, nec non cæterarum Sanctissimarum Ecclesiarum hujus augustissimæ Urbis Constantinopolitanae. V. *De Monachis & Monasteriis*, & eorum Abbatibus. VI. Quomodo oporteat Episcopos & cæteros Clericos ad ordinationem perdinci, & de expensis Ecclesiarum. VII. *De non alienandis aut permutandis rebus Ecclesiasticis immobilibus, aut in speciale hypothecam dandis creditoribus*, sed ut sufficient generales hypothecæ. In Concilio Constantinopolitano sub Mena, anno Chr. 536. celebrato, Act. iv. recitatur *Sententia Epiphanii Patriarchæ & Synodi congre-**